Banaczkowski Simonis: Dissertatio philosophica ex Ethica. De iure naturae.

IN NOMINE DOMINI *Amen.*

DISSERTATIO PHILOSOPHICA. EX ETHICA

De Jure Naturæ.

Per

M. SIMONEM BANACZKOWSKI,

Philoſophiæ Doctorem, Eccleſiæ Collegiatæ Voynicenſ: SCHOLASTICUM, Seminarii Diœceſeos Poſnanienſis VICE PRÆFECTUM.

Pro loco obtinendo

In Minori Univerſitatis Cracovienſis Collegio

Publicæ Diſputationi

In Lectorio CC. DD. Theologorum

Annô Domini 1768.

Die 3tia. Menſis Februarii

EXPOSITA.

DEUS cor dedit illis excogitandi, & disciplinâ intellectûs implevit illos. Creavit illis Sapientiam spiritus, sensu implevit cor illorum; & bona & mala ostendit illis.

Eccl: 17. Cap v. 5. & 6.

Lex Tua Domine, in cordibus hominum scripta est, quam nec ulla unquam delet, aut delebit iniquitas.

S. Aug: Lib. 2. Confess. Cap. 4.

PERILLUSTRI
ADMODUM REVERENDO DOMINO
D. FRANCISCO ZIĘBINSKI,
U. J. DOCTORI, Ecclesiarum; Collegiatæ SS. Omnium DECANO, Parochialis Andreoviensis PRÆPOSITO, Consistorii Generalis Cracoviensis ACTUARIO, MECÆNATI GRATIOSISSIMO.

Si Laudatissimo hujus Celeberrimæ Academiæ instituto satisfieri existimo, cùm pro obtinendo Loco in Minori præfatæ Regni Scholæ Collegio publicam Disputationem expono propugnandam, desideria mei, simul ac conatus & vota coronari gaudens conspicio, cùm præsentem Responsionis meæ pagellam Dignissimo Tuo Nomini inscriptam ac condecoratam spectari evolvo oculô Perillustris Admodùm Reverende Domine Mecænas Gratiosissime. *Duo equidem aderant, quæ me ad exe-*

exequendum istud compulerunt, summa Tui aestimatio, & devinctissimi propensio animi. Illam cùm exigua isthac pagellâ aggredior recolendam, eam ab illustri virtutum splendore, ab animo, Literis, Pietate, amore, morum probitate & affabilitate ornatissimô, eam ab hoc pretio, quo Te universi accumulant & prosequuntur, proficisci contemplor. Tenerae exordia Institutionis si diligenter introspicienda veniunt, haec ab illo Fonte hausisti, quem tot praeclari hauserunt Viri, de uberibus hujus Sceptrigerae Matris Cracoviensis Scientiarum Universitatis, eruditionis & perfectionis exsuxisti candorem, quô tot Reges & Principes, tot deniq; sive anteactis sive modernis temporibus Nobilissimi Viri ablactati, & enutriti extitere. Ita verò summa cum laude emolumentovè Tuorum Studiorum humaniorum emersus es Olympia, ut haec aequè gloriosè Cursu biennali Philosophico terminares. Quantam Gloriam ex Philosophicis retulisti Scientiis, tantam non minùs ex Jurisprudentiae studio, cui Te totum impendisti. Singularis animi Tui solertia, summa in negotiis pertractandis dexteritas, in decidendis Causarum dubiis maturitas judicii spectata, id effecit, ut Te Per- illustris *olim* SIVERT *U. J. Doctor Ecclesiarum;*

Colle-

Collegiatæ Kielcensis Canonicus, Parochialis in Pobiednik Curatus, stante sui Officio fecerit Actuarium, *moxq; miserabilium Personarum Procuratorem elegerit. Tanta in muniis obeundis & diligentia & sagacitas Tui, conciliavit benevolentiam cordisq; propensionem* Illustrissimi *olim &* Reverendissimi Domini Michaëlis *de Granow* WODZICKI Decani & Officialis *Generalis Cracoviensis, Abbatis Claræ Tumbæ Commendatarii, cùm Te Clericali habitu investiverit. In collato officio & munere, quanta Tua modestia? quanta Tua æquitas? quanta judicii gravitas? quàm sublimis in resolvendis & decidendis negotiorum momentis magnitudo? quæ si recensere cuperem, exilis isthæc opella neutiquam complecti posset. Pietatem nihilominùs fervidissimam nec præterire, nec silentiô comprimere valeo, quæ in Te triplex & recolenda & demonstranda venit. Altera, quâ intensè æstuas in DEUM, altera, quâ Sponsas Christi, Divorum Cultum & Honorem religiosè promoves, altera, quâ super egenum & pauperem intelligis. Primæ, Testem agit Andreoviense Templum, in quod Sanctissimæ Triadis Devotionem Coronæ, Apostolicis Indulgentiis & Gratiis ornatam introduxisti.*

Alte-

Alterius, *è squallore & clade præfatam Ædem extulisti*, *munifica manu à ruina præservâsti*. *Paria asserit Testimonia ardentissimæ Pietatis Tuæ Insignis Ecclesia Collegiata Sanctorum Omnium*, *quæ suum Decus & Splendorem à Te sui Decano Dignissimo nacta est & sortita*. *Quàm altè*, *quàm intensè Pietas Tui*, *in specialem Sanctissimi Sacramenti Cultum propagandum eminuit*, *Cujus Confraternitatem fundâsti*, *Romanas procurâsti Indulgentias*, *quàm insignem devotis animis & mentibus implantâsti fructum*, *amorem & salutem*. *Postremò Pietatem Tui enarrant Religiosi Cœtus*, *edisserunt turbæ miserorum*, *calamitate depressi divulgant Te sui Patrem*, *Te Tutorem & Benefactorem esse*. *Raras has Tuas dotes*, *laudatissima facta*, *eximia opera*, *ut commendârunt & appretiârunt Principes*, Lipſcii, Załuſcii, *æstimârunt*, Kuniccii, Wodziccii, Stadniccii, *ita non finit commendare* Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus Franciſcus *de Potkana* POTKANSKI, *Episcopus Patarensis*, *Suffraganeus & Officialis Generalis Cracoviensis*, *Idea Sapientiæ*, *Sanctitatis Apex*, *Justitiæ Regula*, *Pietatis Norma*, *Cujus Cordi & amori invisceratus manes*.

Devin-

Devinctissima demùm animi mei in Tui Dignissimam Personam propensio suasit, ut præsentis Dissertationis opellam, in perenne perpetuumq; testificationis meæ argumentum offerrem & consecrarem. Exiguum opus Tuis gratiosissimis manibus insinuare audeo, ast si illud non dedignanter suscipies, ingens illi pretium, ingens elogium non immeritò continget. Non exilitatem operis perpende, non rei modicæ materiem, verùm cordis teneritudinem, animum offerentis pensa. De Jure Naturæ prodit in publicum, illud à me innati erga Te, Tuamq; Personam excitat & permovet sensum amoris & apprecationis: ut Te Mecænas Gratiosissime, *amplissimîs honoribûs auctum, prosperrimîs beatum successibûs, Boni Superi felicem & superstitem communi omnium voto & præsidio servent.*

Ita vovet.

Perillustris
Adm̃ Rñdæ Dñis Vræ

devinctissimus Cliens
Author Operis.

QUÆSTIO

U. Nomine Legis Naturæ, quæ omnibus hominibus ingenita eſt; quæquè ad minùs quò ad univerſaliſſimas notiones à nemine prorſus invincibiliter ignorari poteſt; cujus quidem cognitio à dictamine rectæ rationis dependet; inclinationes humanæ, quibûs ad objecta nobis conſentanea naturaliter ferimur, venire queant. necne?

CONCLUSIO I.

Exiſtit Lex Naturæ mentibus hominum ingenita.

ORnamentum Vitæ humanæ, haud aliquod melius & commodius dari poſſe cenſendum, quàm ut ad rectè vivendum certæ præſcribantur Inſtitutiones, quibûs vita humana utatur, utendo ad ineffabile ſui commodum regatur, ſicvè meliùs recta ratio vivendi inſtituatur. Et cùm vitæ ratio ſuam originē trahere non à ſe obſervetur, ſed à Datore vitæ, nempè Ente Primo, Creante, Conſervante, ac Gubernante de immenſa ſua Omnipotentia homini utpote creaturæ ſuæ communicetur, itaq; hæc Bonitas providit certas regulas, ad rectam hominis vitæ inſtitutionem, quas plurimas eſſe dixerim, inter quas vitæ humanæ Directricem Regulamq; infallibilem inditam eſſe, & communi omnium hominum ſenſu comprobatur, & intimâ experientiâ conſtat.

Nequeo ſatis mirari, quòd hujus Legis exiſtentiam nec ipſi præprimìs Ethnici auſi ſunt inficiari, diſcutiamus quæſo teſtimonia illorum: — Hanc video „Sapientiſſimorum fuiſſe Sententiam, Legem, neq; ho„minum ingeniîs excogitatam, neq; ſcitum aliquod eſſe „populorum, ſed æternum quiddam, quod univerſum „mundum regeret imperandi prohibendiq; Sapientiâ. „Ita principem Legem illam & ultimam mentem eſſe „dicebant omnia ratione aut cogentis, aut vetantis „DEI, ex qua illa Lex, quā Dii humano generi dederunt „rectè eſt laudanda. - - - Erat ratio mensq; Sapientis „ad jubendum & ad deterrendum idonea. - - - Erat

„ratio perfecta à rerum natura, & ad rectè faciendum „impellens, & à delicto avocans, quæ non tum deniq; „incipit Lex esse, cùm scripta est, sed tunc cùm orta „est. Hæc est, non facta, sed nata Lex, quam non „didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa „arripuimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti sed facti, non instituti, sed imbuti sumus. (a) - - Jus Naturæ est, quod non opinio genuit, sed quædam innata vis inseruit. (b) Audiamus Ipsos Sanctos Patres, quid hac in re loquantur. - - Habemus Legē „scriptam in cordibus nostris, - - - Gentes quæ Legē „non habent, naturaliter ea quæ Legis sunt faciunt, „& ostendunt opus suum in cordibus suis, & sunt sibi „ipsi Lex, testimonium reddente illis conscientia (c) „Lex Tua Domine in cordibus hominum scripta est, „quam nec ulla unquam delet, aut delebit iniquitas (d) Ea Lex non inscribitur, sed innascitur, nec aliqua „percipitur lectione, sed profluo quodam naturæ fonte „in singulis exprimitur. (e)

Quodsi verò ab ipsa experientia hanc veritatem inquirere voluerimus; utiq; dum malè agimus, timore percellimur, pudore suffundimur, oculos hominum vitamus, quandoq; dolore adigimur, adextremum ipsa facta nostra nefanda judicamus; hæc inquam quid in nobis operatur? Lex naturæ. Lex hæc, cujus Sol ope per Astronomorum testimonia quolibet annô, per signa quolibet die, per certos revolvitur gradus, quæ corpora gravia deorsum, levia sursum disponit, quæ animalia ratione destituta & movet, & ut suos fœtus alant

(a) Cic: de Leg. Lib. 2. (b) Tull. 2. Rhetoric. (c) S. Paul. Rom: 2 C. ℣. 14. & 15. (d) S. Aug. 2. Confess. Cap: 4. (e) S. Ambr. Lib. 9. Epi 71.

alant, cuſtodiant. cæteraq; vitalia munia obeant regulariter, allicit efficaciter. Quodſi inſuper naturam noſtram ſpectaverimus, partus ejus, intellectum & voluntatem animadvertemus, quibûs vita humana perfici videtur, ſed ne intellectus erret, voluntas cæcitate ducatur, certa Lege indiget, quæ non alia quàm naturalis ad directionem utriusq; aſſignanda, admittenda.

CONSECTARIUM I.

DEUS hac Lege homines vult vivere.

Cùm ex S. Auguſtino Legem naturalem mentibus noſtris impreſſam, non ab alio quàm à DEO conſtet: „Quis enim Legem naturalem in cordibus hominum ſcripſit, niſi DEUS, (a) ac eô ipsô Deum per impreſſionem Legis naturæ mentibus noſtris, rationem ſuam nobis communicâſſe, quâ vita humana ſapienter, juſtè honeſtè tranſigi poſſit. Supereſt, ut oſtendamus Deum velle hac Lege hominem vivere.

DEUM de ſuo in res omnes imperio nihil remittere, perpetua rerum omnium cura & providentia demonſtrat. At verò nec decet quidem illum huic imperio renuntiare, repugnat enim id non modò Ejus Naturæ, quæ ùt eſt rerum omnium effectrix, ita & conſervatrix, ſed Ejus etiam Bonitati, quæ iis prodeſſe amat, quæ ut nequeunt ſuapte eſſe natura, ita ſua vi & perfectione eſſe non poteſt, nec fines ſuos attingere, niſi à DEO & moveantur & regantur. Vult ergo DEUS ut homines Supremi illius Imperii vim & rationem obſervent, ne contra agentes & ſe, & naturæ ordinem perturbent.

(a) Lib. 2, de Serm. Dom. in Monte Cap. 9.

Quoniam autem intelligit naturam humanam ita à se esse procreatam, ut voluptate & dolore determinetur & ad agendum & ad cessandum, dubitare non possumus, quod ut homines hanc præstantissimam Regulam sequantur; pœnîs obliget aut prœmiîs animet. Minime negarem, si puram naturalem rationem consulamus, distinctam hujusmodi pœnarûm & prœmiorum cognitionem assequi hominem non posse, sed id nihil obstat, cûm generatim saltim intelligam9 adesse parata. * Vel enī DEUM suæ Omnipotentiæ ac Sapientiæ deesse affirmabimus! Est porrò DEUS Potentissimus, Qui ejusmodi pœnas exigere possit. Justus & Incommutabilis ut velit. Suprema ergo Ejus ratio per Legem naturalē homini cōmunicata, exigit; ut semper secundùm eam homines vivant.

* *Obligatio Legis naturalis intelligibilis est, Civilis verò sensibilis, nam pœnæ naturali Legi adnexæ & intelliguntur, non spectantur & remotiores sunt. Quum autem homo qualis nunc est, ingeniô sit pravissimus, illîs tantùm gubernari nequit. Hinc nata necessitas Sanctionum Civilium interim evadere potest sensibilia præmia, & pœnæ Juris naturæ, si in animum sæpe revocemus magnam vitæ tranquillitatem sequi, ubi ex recta ratione & mente congruenter vivamus miseria verò magna, ubi cupiditates nostras sequi velimus. Nam ego id sæpè dum Nationum historias legerem, observavi non in cultioribus tantum nationibus, veræ virtuti magnos tribui honores, sed etiam in barbaris, ut si non semper virtuosi, præmiis cumulentur, qui etiam saltim vitam suā agere sinantur. Quanquam non ego veram virtutem dixerim eam, quâ qui præditus sibi videtur, indignatur se negligi, nec ad prima Reip. munera evehi. Virtutis præmium maximū est, ut à turbis remoti tranquillè vivamus; quò qui contenti non sunt, falsæ virtutis speciem, & se & alios deludificant.*

CON-

CONSECTARIUM II.

Homo à natura ipsa monetur ut regat se aliqua Lege.

NAturalis hæc ineſt omnibus hominibus cognitio, ut ſuum ſemper appetant finem, in eum ſemper ferantur (hoc eſt) Beatitudinem. Et cùm homo à natura ſuis in actionibus gaudeat libertate omni, libertate vivat, libertate regatur, patret quod vult, ubicunq; vult, & quomodo vult, non ſemper illi obex poni poteſt, dantur momenta, quibûs à malo coërceri nequit, unde ne hac libertate abuti poſſit, crimina patret absq; rubore, Præcepta violet absq; timore, & ſic ſine ſuo privetur, conſequitur à natura ipſa moneri, ut ſe lege aliqua regat, quâ ab his impediatur, qua à temera & iniqua actione arceatur. Ipſa demùm hominis dignitas & præſtantia, quâ inter cætera fulget animantia, omninò hæc à natura requiret, ut ſuas actiones ad normã quandã, normam quidem talẽ, à qua ordo, decor, & pulchritudo derivaretur; dirigat, per quam à brutis cognitione rationali carentibus, eorumq; deformi pravitate ſeſe diſtinguat. Eapropter hoc regulamen quod in homine, præclarè oſtendit in muſica Genuenſis: (a) Sicut enim in ea dari conſonantias & diſſonantias nemo denegat, ſuaviter tamen harmonia aures humanas mulcet, ita virtutes & vitia nemini obvia, vitia quidem reſtringendo, virtutes ampliando, Lex naturæ humano grate præſentat obtutui. Non decet itaq; ſicut muſicam ſine harmonia, ita hominem ſive naturam ejus ſine Lege. Vivit homo, ſed ducitur appetitu in bonum

(a) in Elem. Meth. Tom 4.

num, vires ſuas impendit; vitam exponit, ſanitatem minuit, infortunia ſubit, ſed ob quem finem; ut tandem aliquando poſt laborem otium, poſt curas quietem, poſt deniq; varia vitæ incommoda optata fruatur beatitudine: hæc omnia natura duce operatur, naturâ liberè ad ea ſufferenda impellitur, cùm hæc nihil agat fruſtra (ùt docent Phyſici:) Ergo homo à natura ipſa monetur, ut ſe regat aliqua Lege.

CONSECTARIUM III.

Syſtema Hobbeſii circa explicationem Legis naturalis eſt erroneum.

Hobbeſius editîs duobûs librîs, in quibus Legis iſtiusmodi naturam & originem explicare aggreſſus eſt, quibusdam doctis impensè placuit, ex eo; quòd Geometricâ methodo principia Philoſophiæ Moralis ab eo tradita fuerint, ùti Gaſſendo (b) Pufendorffio. (c) Sed Samuel Packerus (d) dicit Hobbeſium nihil aliud in ſuis operibus deſcripſiſſe, niſi quæ apud Veteres in Epicuro reprehenſa invenimus. Hinc à Ricchardo Kumberlando confutatus (e) Beccherus verò palam de eo fatetur: *Juſtum quidem & injuſtum perperam æſtimat (id eſt Hobbeſius) Legem malè definit, Principem impiè ſolvit Lege, Civitatem, quam adornat, aut deformat, aut evertit pactorum Religione non multum tangitur.*

Quæ verò ejus mens fuerit circa eſſentiam Legis naturalis, facilè colligere poſſumus ex immediatè dicendis: Hobbeſius enimverò Jus primùm à Lege naturali diſtin-

(b) Epiſt. ad Samuel. Sorben. (c) Præf. in Lib. de Jur. Nat. & Gent.
(d) Diſp. 1. de Deo & Prov. (e) in Oper. Celebr. de Leg. nat.

diſtinguit. Et *Jus quidem naturale* vocat *libertatem, quam quisq; natura habet facultatibus naturalibus ſecundùm rectam rationem utendi* (a) Legem demùm naturalem appellat; *dictamen rectæ rationis, circa ea, quæ agenda vel omittenda ſunt, ad vitæ membrorumq; conſervationem, quantum fieri poteſt diuturnam.* (b) Nonne Hobbeſianum Syſtema hac in re eſt erroneum? cùm ejus definitio nullatenùs ſubſiſtere poteſt: Dictamine ſiquidem rectæ rationis non poteſt intelligi naturæ humanæ finis, ſed potiùs dictamen rectæ rationis dicendum principiũ Legum naturæ cognoſcitivum (ùt vocant) non obligationum. Seu Lex naturæ proprie dicta, eſt ratio imperantis Dei, dictamine rationis humanæ promulgata, non ipſum humanæ rationis dictamen. Unde & Cicero inquit,, Lex eſt ratio ſumma inſita in natura, quæ jubet ea, quæ facienda ſunt, prohibetq; contraria. (c) Quæ duo dum Hobbeſius miſcet, Legem naturalem penitùs ſubvertere conatur, & eas ſolùm proprie loquendo Leges eſſe admittit, quæ in Divinis Scripturis revelatæ ſunt. Quod affirmare, idem eſt, ac dicere rectam rationem, regulam quidem eſſe vitæ humanæ, non tamen Legis habere rationem & naturam, cùm neq; ſic perfecta eſſe poſſit ratio humana, nec ſibi pœnas minari, ſine quibus nulla Lex plena eſt.

Si deniq; verba ea: *ad vitæ membrorumq; conſervationem quantum fieri poteſt diuturnam,* bene perpenderimus, aſſeremus Hobbeſium, vel non bene intellexiſſe ſtatum vitæ humanæ, vel non crediſſe animos humanos eſſe immortales. Homo enim cùm duplici con-

ſtet

(a) Lib. 1, de Cive. Cap. 1. §. 1. (b) Lib. 1. de Cive. Cap. 2. §. 1.
(c) Lib. 1. de Legib.

ſtet vita; una animali, altera rationali, & rationalis immortalis ſit, neceſſe igitur eſt, ut ultra hanc vitam Legis naturæ uſus extendatur, ut utramq; vitam & quidem pro ſui conditione ea Lege ordinemus. Hobbeſius autem nobiliori vitâ excluſâ, animalem tantùm ſpectat, eamq; Legibûs naturæ procurari aſſerit. Quodſi Hobbeſius ideo aſſerit animalem vitam Legibus naturæ procurari, quia animos humanos non credit eſſe immortales, hæc ejus inſania reprimenda eſt. Aſt eſtò conceſſerimus mortales eſſe animos; & cùm objecta pleraq; mentis humanæ diverſa & diſtincta ſint ab objectis vitæ corporeæ, debuitne Hobbeſius Legem naturæ ad ſolam procurationem vitæ reſtringere, cùm bona mentis longè ſint nobiliora. Proinde hoc Syſtema Hobbeſii, ſalvando Legem naturæ quod eſt primum, animos humanos immortales, quod alterum, nullatenùs ſuſtinere poſſumus, & tanquam erroneum rejicimus.

CONSECTARIUM IV.

Leges Naturæ, per Leges humanas interpretari poſſe exiſtimandum.

QUoniam Lex naturæ generalis eſt, ideò conveniens cenſetur eſſe, ut per humanam rationem magis in particulari determinetur, quod quidem fit per Leges humanas. Si enim Lex humana debet conformari legi naturæ, ùt docet D. Thomas: „ Lex humana, quæ „ à Lege naturali in aliquo diſcordat, non eſt Lex, „ ſed Legum corruptio, (a) eæ ſolùm Leges humanæ, veræ

(a) Q. 95. a. 2.

veræ Leges appellandæ funt, quæ omnino conveniunt cum Legibus naturæ adeo; ut quodcunq; agatur contra illas, contra naturales etiam agi opportunũ. Nonne fieri homicidium, quod Lege Communitatis vel Reipublicæ cautum eft, cohæret cum Lege naturæ? quæ nemini faciendam injuriam demandat. Attendamus ad verba Ciceronis, inquit ille: „ Initium Juris eft à natura „ profectum, deinde quædam in confuetudinem ex uti- „litatis ratione venerunt; poftea res à natura perfectas, „& confuetudine probatas Legum metus & Religio „ fanxit. (a) Hinc eandem ita defcribit: „ Lex eft „juftorum, injuftorumq; diftinctio, ad illam antiquiffi- „ mam & rerum omnium principem expreffa naturam, „ad quam Leges hominum diriguntur, quæ fuppliciô „improbos afficiunt, defendunt & tuentur bonos. (b) Porrò, ficut ex fignis externis conjicimus aliquem vel dolore vel triftitiâ affectũ, ita per Legem humanã Legis naturæ manifefta rectè riteq; vivendi fumimus documenta. Quamobrem Lex humana effectus Legis naturæ dici poteft, vel quòd hæc fit prima, illa pofterior, caufa verò eft prior fuo effectu naturâ, vel quòd per Leges humanas, devenimus in cognitionem Legum naturalium clariorem. Per effectus enim manifeftatur caufa, five illa fit noftri intellectus conceptum tranfcendens ut Creator, five illi conveniens ut creatura.

CON-

(a) de Juvent. Lib. 1. (b) Lib. 1. de Legib.

CONSECTARIUM V.

Naturæ Leges falsîs opinionibûs, aut pravîs moribûs planè obliteratæ Divina Lege renovantur.

CErtum judico esse, Deum utpote Potentissimum, non solùm potuisse Legi naturæ addere, sed convenientissimum fuisse, ut addidisset, ùti summè Bonus, summè Misericors. Equidem si statum nostrũ observaverimus, miser est, labilis est, sæpiùs quapropter vitanda amplectimur, amplectenda vitamus, meliora spernimus, deteriora adprobamus aliud mens, aliud cupido svadet, cupiditatibus obsequimur, & plerumq; de hoc obsequio dolemus. Unô verbô: *nitimur in vetitum, cupimusque negata.* Egregiè hanc materiã prosequitur Dagoumer. „Ante Mosaicam Religionem non unus homo, non centum, sed universus Orbis paucissimîs exceptîs cupiditatibus turpissimis obsequebatur, cor erat induratũ, mens excæcata, pluralitas Deorũ ab omnibus ferè tenebatur. Deus in Sole suam gloriam posuerat, adoratur Sol ipse; fecerat, ut essent plantæ, coluntur plantæ, dederat animalia, animalia etiam viliora aliquid Divinitatis habere existimantur, unô verbô, animalia Dii fuerunt, & Dii fiebant animalia: atq; ne aliquid deesset his flagitiis, homines suis criminibus Templa & Altaria consecrabant, ebrietati sub nomine Bacchi, impudicitiæ sub nomine Veneris; Mercurius fit latronũ Deus; Momus fit calumniæ Protector, Jupiter ipse, qui putabatur Deorum maximus, adulteriîs stuprîs, incestibûs famosissimus. Hinc superstitio omnem consci-

„conſcientiam deluerat, Lexq; naturalis facta fuerat „omninò inutilis „ adu‑q; præfatus Author. Convenientiſſimum igitur fuit, ut huic Legi DEUS aliam adderet, qua Lege vera Divinitas coleretur, quæ doceret modum, quô rectæ rationi obtemperemus, appetitui noſtro pertinaci dominemur.

Hanc procul dubio Legem, ut DEUS nobis inſtillaret, de qua Propheta ait: *Lex Domini immaculata convertens animas, teſtimonium Domini fidele Sapientiam præſtans parvulis.* (a) hanc petiit à Dominô, hanc requiſivit dicens: *Legem pone mibi Domine viam juſtificationum tuarum & exquiram eam ſemper.* (b) Supponitur ergo Propheta ſupplementum Legis petiiſſe, quô illuminaretur, duceretur q; in cognitionem Legis naturæ meliorem. Quinimò conſtat DEUM & Legi naturæ addidiſſe & eam renovâſſe. Juſſit DEUS animalia & fruges terræ in Sacrificium ſibi offerri, ut Eum Fontem omnium Bonorum homines agnoſcerent. Juſſit quoq; poſt diluvium, ut homines à ſanguine abſtinerent, quô homicidii horrorem ipſis incuteret. Poſt aliquot tempora ſecuta Lex Circumciſionis, quæ unicè ad id fuit inſtituta, ut populum Dei, à falſorum Deorum cultoribus ſecerneret, ne illorum communione atq; ſocietate in Idololatriam deflecteret. Cæteras minime meũ enumerare exiſtimo, ſive illæ ſint naturæ, ſive Gratiæ, ſive ſcriptæ, ſive traditæ, dicere fas erit, quia ſunt cunctæ, & à DEO ſive mediatè ſive immediatè populo ejus porrectæ, & principiorum primorum Legis naturæ perfectivæ.

(a) Pſ. 18. ℣. 8. (b) Pſ. 118. ℣. 33.

CONCLUSIO II.

Prima Principia universalissima Legis naturalis invincibiliter ignorari non possunt.

Esse in natura Legem, quæ sit actionum hominis liberarum norma, præcedenti Conclusione demonstratū, nunc verò utrum hujusmodi Legis principia universalissima iuvincibiliter ignorari possint, investigandū venit. Hominem pro moderno statu naturæ lumine conjicere posse existentiam hujus Legis, ejusq; prima generalissima principia facilè intelligere, quis est, qui dubitet? Approbat hoc Dagoumer; qui ita hac in controversia dicit: „ „Certum est, & experientia nimis frequenti constat, vel „prima Legis naturalis principia ignorari, non modò à „Viris è plebe simplicibus rusticis, sed etiam à Civibus „non modo privatis, sed etiam in aliqua dignitate & hono„ris loco constitutis. immò constat vel Gentes universas „hæc principia ignoravisse, etiamnū ignorare; sed hæc „ignorantia culpabilis est, quia potest proindeq; debet „superari, nemò enim est, nisi in ipso sit omnimoda „mentis cæcitas, qui non possit hanc superare ignoran„tiam (a) Hæc ipsamet est mens Augustini: „ Nemo „sinitur ea (id est principia universalissima) ignorare. (b) „Loquens autem de isto Legis naturalis primo principio „*Quod tibi non vis alteri ne feceris*, ait: Illud manu „Formatoris nostri in ipsis cordibus veritas scripsit. Hoc „& antequam Lex daretur, nemo ignorare permissus est, „ut esset unde judicarentur etiam quibus non est data.

Sed

(a) Tom. 3. Philæ Moral. (b) Conc. 25. in Ps. 118.

„Sed ne sibi homines aliquid desuisse viderentur scri-
„ptum est in tabulis, quod in cordibus non lege-
„bant, non enim & scriptum non habebant, sed legere
„nolebant. (c) At verò quomodò sentiat Doctor Angelicus? apprimè verba Ejus demonstrant: „ Ad Le-
„gem naturalem pertinent primò quædam principia
„communissima, quæ sunt nobis nota, quædam autem
„secundaria Præcepta magis propria, quæ sunt quasi
„propinquæ Conclusiones principiis. Quantum ergo
„ad illa principia communia, Lex naturalis non potest
„à cordibus hominum deleri in universali, deletur verò
„in particulari operabili, secundùm quod ratio impe-
„ditur applicare commune principium ad particulare
„operabile, propter concupiscentiam, vel aliquam aliã
„passionem. Quantum verò ad alia Præcepta secun-
„daria, potest Lex naturalis deleri de cordibus hominũ,
„vel propter malas persuasiones (eôdem modô, quô
„etiam in speculativis errores contingunt circa Con-
„clusiones necessarias) vel etiam propter pravas con-
„suetudines & habitus corruptos, sicut apud quos-
„dam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam
„vitia contra naturam, ut Apostolus dicit ad Rom: 1. (d)
Hinc liceat nobis inferre; prima & universalissima principia Legis naturæ, sunt cuilibet notissima, quoniam sunt prima principia Synderesis. Ergo ignorantia eorum invincibilis nequaquam dari potest.

CON-

(c) in Ps. 118. 57. (d) S. Thom. 1.

CONSECTARIUM I.

Lex Naturæ indiſpenſabilis eſt.

Jam Conſectariô 5tô Legis naturæ renovationē apertè admiſimus, quinimo convenientiſſimum id eſſe aſſerimus, ad præſens verò recto ordine procedendo indiſpenſabilem concludimus. Et meritò: non enim idem intelligimus eſſe mutabilitatem ac diſpenſabilitatem, ſed diſpenſabilitatem pro ſpecie mutabilitatis accipimus. Variè autem Lex mutari præſumitur; ſi ei Lex nova ſuperadditur, mutatur *per additionem*, ſi explicatur ejus aliquod Præceptum, mutatur *per interpretationem*, ſi aliquod quod priùs erat de Lege, deſinit eſſe, mutatur *per ſubtractionem*. Hîs & aliîs modîs mutabilitatis Legis prætermiſsîs de ſola diſpenſatione in præſenti inquirimus; atq; per eam nihil aliud intelligimus: niſi communem Legis relaxationem, quâ aliquis ab obligatione Legis eximitur, tametſi ejusdem Legis obligatio reſpectu aliorum perſeveret, hancq; dari in Lege naturæ non admittimus.

Quamvîs verò varii hac in materia acriter inter ſe pugnent, nos ſemper Legē naturæ indiſpenſabilem promulgamus. Tum quia, & Viri authoritate graviſſimi id confirmant. „ Eſt vera Lex recta ratio, naturæ con„grua, diffuſa per omnes, conſtans, ſempiterna, quæ „vocet ad officium jubendo, vetando, à fraude deterreat. „Huic igitur Legi nec prorogari fas eſt, neq; dero„gari aliquid licet, nec tota abrogari poteſt. Nec „verò per Senatum aut populum ſolvi hac Lege poſſu„mus, nec eſt quærendus explanator aut interpres alius.

Non

„Non erit alia Lex Romæ, alia Athenis alia nunc, alia „posthac, sed & omnes Gentes, & omni tempore, una „Lex & sempiterna continebit. (a) Naturale Jus inter omnia primatum obtinet, tempore & dignitate, cæpit enim ab exordio rationalis creaturæ, nec variatur „tempore, sed immobilis semper permanet. (b) Tum quia, quomodò quispiam dispensari possit ab his, quæ Lege naturali prohibita sunt? cùm hoc repugnet, ut manente illicito ac inhonesto, & naturæ rationali dissono actu dispensatio admittatur, quod primum, & ut per dispensationem actus desinat esse illicitus ac inhonestus & naturæ rationali dissonus, quod alterum. Si enim DEUS ita in Lege naturali dispensaret, ut homo eliceret aliquem actum, qui non obstante dispensatione maneret illicitus, inhonestus & naturæ rationali dissonus, dispensaret illum ut peccaret, & actum intrinsecè malum eliceret, quod infinitam Ejus Sanctitatem & Bonitatem dedecet. Si autem per dispensationem actus desineret esse illicitus & inhonestus, atq; rationali naturæ dissonus, sequeretur essentias rerum esse variabiles, quod tamen dici nequit. Quapropter cùm dispensatio in Lege naturæ repugnet & essentiis rerum, & Bonitati ac Sanctitati DEI, consequitur Legem naturæ indispensabilem esse.

CONSECTARIUM II.

Dicendum igitur DEUM nunquam in Lege naturæ dispensâsse.

Estò permulti sint, qui asserunt DEUM in Lege naturæ dispensâsse, nos tamen contra eos hoc Consecta-

(a) Tullius apud Lactant. Lib. 1. Div. Inst. Cap. 8. (b) Gratian. Dist. 5. Cap. 1.

ctarium instituimus, ac fundamentum eorum, quod est vel maximum de Abraam declarans eundem à DEO dispensatum fuisse, ut filium suum interficeret & immolaret (c) hôc modô refutabimus.

Lex naturalis vetans ne occidatur infans non vetat absolutè & simpliciter, sed ne occidatur authoritate privata. Abraam acceptô mandatô à DEO occidendi filium suum non accepit mandatum occidendi filium suum authoritate privata, sed publica, quia Ipsius DEI mandatô. Unde sicut non agit contra Legem tortor, qui jubente Magistratu innocentem, secundùm verò allegata & probata demonstratum nocentem vel iniquum siccarium, aut decollat, aut quomodocunq. necat, ita & Abraam jubente DEO, ùtì vitæ & necis Domino, si filium suum immolâsset in Sacrificium, contra Legem naturæ nil egisset, & eô ipsô non est censendus, quod dispensatus fuisset à DEO,

Sed DEUM Immortalem! si Abraam Mandata Dei Ipsius exequendi animum habuit, jam ergo illa Legis naturæ dispensatio inferenda? minimè; quinimò observatio ejusdem concludenda. Nonne primum Præceptum est colendi DEUM? porrò si Abraam non obtemperâsset DEO egisset magis contra Legem naturalē, quàm si filium suum occidisset. Neq; hìc posteriora ligare dicendum, cùm Præcepta Legis naturalis, nobis per DEUM mediatè, per Moysen immediatè porrecta Digitô Supremi Legislatoris tabulis insculpta lapideis, neq; dubitandum præsertim in Lege naturæ, aliqua Præcepta posteriora dari, sed hæc solùm tale ligamen habent, quod illam priorem scilicet principia ejus, vel ampli-

(c) Gen. 22. Cap.

ampliant, vel manifestant, vel demùm abdita ejus non omnibus unanimiter nota quamvis omnibus summè intelligibilia interpretantur, sicut Lex humana, ùti praecedentis Conclusionis Consect: 4tô. demonstratum. Adextremum; utemur Scholis responsione usitata, & in hoc casu dispensationem impropriè dictam admittere non dedignabimur, quae fit tunc, quando materia mutatur, ex qua obligatio Legis oriebatur, ùt videre est, in votis, juramentis &c. Insuper; negare absolutè possemus hoc in casu intervenisse aliquam dispensationis speciem, quia haec Lex fuit lata generaliter, sed cum exceptione, videlicet: *non occides*, nisi DEUS, vel justa, vel legitima Potestas, vel vitae propriae servandae necessitas id exigerent. Caetera quae ab aliis dispensari dicuntur, nequaquam dispensata dicimus.

CONSECTARIUM III.

Lex Naturae simpliciter non eget promulgatione

QUemadmodùm indubium est, Legem naturae & in cordibus nostris esse scriptam, & mentibus ab Authore naturae impressam, ita ut promulgetur, nullam hujus necessitatem necessariam simpliciter agnoscimus. Inferunt quidem alii, quòd si Lex naturalis non egeret promulgatione necessaria necessitate simpliciter, ita de nostra nativitate deberemus sentire, sicut de Adae & Evae creatione nempè deberemus nasci in innocentia, in mentis illuminatione, & in omnimoda perfectione, non in calamitatibus, miseriis, egestate, noxa originali, & caeteris vitae nostrae incommodis, maximè tamen in men-

tis cæcitate, quæ nobis quodam modo prima Legis naturalis principia detegere nequit. Unde experientiâ evincere ſtudent, præſertim, quòd juvenibus, viris, ſenibus, illa naturalis Legis principia à Sapientibus, vel ſaltim prudentioribus inſtillantur, quæ quidem inſtillatio promulgationis vices ſupplere ſupponitur. At nos quamvis non eô, quô Adam modô ſimus creati, quamvis non in ea, qua Adam vitæ innocentia ſimus nati, ſed non minus de humanitate participamus ſicut ille, non minùs liberam voluntatem nanciſcimur ſicut ille, non minùs ad bonum aut malum proni ſumus ſicut ille. Non negamus Proto Parenti noſtro & Primatum, ſcientias infuſas, verùm ejusdem nobiscum naturæ extitiſſe affirmamus. Sicut eſſe nos in ratione hominis nil ab Adam diſtinguit; ita nec Lex naturæ quæ ſi Adæ non promulgata, etiam & nobis promulgatio ejus ſimpliciter non requiritur. Non officit inſtillatio pueris illorum Legis naturæ principiorum, & hæc non pro promulgatione, ſed magìs vel pro excitatione, vel commemoratione, vel deniq; pro compulſione ad executionem illius Legis tenenda. Permultæ defactò ſunt rationes, propter quas promulgatio Legis eſſe neceſſaria ſimpliciter comprobatur, ſed quia hæ non firmæ ſunt & plane rem non confirmantes ac præterea, uſu ipſo Lex naturæ diſcitur, rerum experientiâ ætateq; comparatur, ideo hìs non obſtantibûs, concludimus Legem naturæ, non indigere promulgatione neceſſaria neceſſitate ſimpliciter.

CON-

CONSECTARIUM IV.

Quamvis Legem Naturæ ſimpliciter non egere promulgatione dixerimus, ſecundùm quid tamen & promulgatione & revelatione opus habet.

Cùm in præſenti Legi naturæ attribuimus tum promulgationem, tum revelationem eſſe neceſſariam ſecundùm quid, aliud certè exiſtimamus eſſe promulgationem, & aliud revelationem. Promulgatio enim eſt aliquod inſtrumentū, quo mediante revelata aures omniū pulſant, revelata uni pluribus innoteſcunt, ſeu: promulgatio publicat Leges, ut ſciantur, revelatio autem in ſcitis, ſcitis tamen imperfectè clarificat, illuminat & confirmat. Rem hanc nulli dubio ſubjacere credimus; quòd tam ſine promulgatione, quàm ſine revelatione in nobis Lex naturalis detur, aſt ſine illa non omninò Lex obſervari ſuevit, ſoli intellectûs potentiæ relicta, ſine hac rectè vivendi quodammodò dubia via. Et ideò celeberrimi illi junioris mundi Viri, ſcientiis dediti, ſcientiîs clari, longè à principiis Legis naturalis aberrârunt. Cognoſcebant ex parte illud proſequendum, hocq; renuendum ſed hîs deſtituti errabundi hæſerunt, & ideo inter eos tantæ exortæ fuerunt contentiones, ut alii eorum aliquid verum affirmaverint, alii negaverint. Hinc Socrates Anaxagoræ Doctrinam contempſit quòd oblitus in cognitione rerum Spiritus principaliſſimi & ſupremi Libros ejus reſpuit Tradidit hic in ſua morali, ſemina virtutum, aſt alii penitùs eradicaverunt, quòd plùs ipſe ſceleratiſſimus in ſacrificando Diis evaſit.

 Mire-

Miremur Zenonem seipsum occidentem, Diogenem tam miserè vitam ducentem, Anti enem morbô infectum se se trucidıtantem, Empidoclem in ardentem æthnã sese præcipitantem. Miremur Senecam, Stoicosvè hanc sui occisionem laudâsse, multa noxia fidei, moribus, rectæq; rationi scripsisse. Quis quæso laudabit hanc Ciceronis sententiam? Non nunquam mortem sibi ipse consciscere alius deb at alius in eadẽ causa nõ debeat (a) unde Lactantius „ Docemus nullam sectam tam fuisse ‚ deviam, neq; Philosophorum quemquam tam inanem, „ qui non viderit aliquid ex vero. Sed dum contradi- „cendi studiô insaniunt, dum sua etiam falsa defendunt, „aliorum etiam vera subvertunt, non tantùm ela- „psa illis veritas est, quam se quærere simulabant, sed „ipsi eam suô potissimùm vitiô perdiderunt. Quòdsi ex- „titisset aliquis, qui veritatem sparsam per singulos, per „sectasq; diffusam colligeret in unum, ac redigeret in „corpus, is profectò non dissentiret à nobis. Sed hoc „nemo facere, nisi verè peritus ac sciens potest. Ve- „rum autem scire non nisi ejus est, qui sit doctus à Deo. „Neq; enim potest aliter repudiare quæ falsa sunt, eli- „gere ac probare quæ vera. (b) Hinc aliqui & su- perstitioni & idololatriæ dediti à Legibus naturæ lon- gissimè recesserunt, proinde Athenienses Paulus allo- quitur: *Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosio- res vos video, præteriens enim & videns simulacra vestra, inveni & Aram in qua scriptum erat IGNOTO DEO* (c) Aliqui incredibili fæviebant crudelitate, partim membra viventibus rescindendo, partim ùt faces urendo, partim omne tormentorum genus in unum exerendo. Nonne hæc

(a) Lib. 1. de Offic. Cap. 21. (b) Lib. 7. Cap. 7. (c) Act. 17. Cap. ℣. 22. & 23.

hæc ſunt contra jus naturæ, & ab hominibus illa tutè patrabantur, nimia intellectui connniventia cauſa mali fuit. Rectificandus ergo eſt intellectus, tum promulgatione, tum revelatione dirigendus, & in obſequium Fidei captivandus. His Apoſtoli moniti, regulas ſanctè ac virtuosè vivendi nequaquam violârunt, imò felicitatis portum tetigerunt, atteſtante id Doctore Gentium: *Apparuit enim Gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria, ſobriè, & juſtè, & piè vivamus, in hoc ſæculo, expectantes beatam ſpem & adventum Gloriæ, & magni DEI & Salvatoris noſtri JESU Chriſti.* (a) Et quia Lex naturæ tum per promulgationem, tum per revelationem, manifeſtior ſeu clarior nobis redditur meliùs ſcitur, meliùs obſervatur, reverentiùs pertractatur non incongruè aſſerimus hanc, eſto promulgatione ſimpliciter non egeat, opus tamen habere, tum promulgatione, tum revelatione ſecundùm quid.

CONCLUSIO III.

Indubitatum arbitramur; dictamen rectæ rationis, principium Legis naturæ nonniſi cognoſcitivum eſſe.

CErtum eſt, dictamen rationis, eſſe Legem naturæ ſoli homini propriam, Legem verò naturæ, veritatem & modum moralem noſtras actiones dirigentem, quæ Lex cordibus noſtris inſcripta, veras juſtitiæ nobis proponit regulas, præſcribit munia vitæ, & in ſe ita certa;

ita

(a) ad Tit. 2. Cap. ỹ. 11. 12. & 13.

ita infallibilis, ita evidens, justa & bona & sancta est, ut intellectus sanus ab erroribus separatus, talem esse judicare debeat, ita judicando acta vel agenda cognoscat, bona & mala distinguat. Rectè igitur S. Greg: inquit: *Conscientia accusat, ratio judicat, timor ligat, dolor excruciat.* (b).

At dum difficillimum esse intelligo, ut omnes homines suis in officiis plenè instituantur sola ratione, tum ob innumerabiles causas, tum vel maximè quòd non omnes tantæ animi capacitatis & intentionis esse possint, potissimum ob distractionem circa temporalia. Oportet itaq; esse in natura principium Legum vitæ directivum cognoscitivum. Quodnam verò illud principium esse debeat toti generi humano commune? non revelatio; quia hæc non toti generi hominum communis est, ergo ipsa ratio, cujus vi Leges promulgatæ sint. Duplici autem modo confici rationem humanam judico: facultate videlicet ratiocinandi & notionibûs seu principiis certis, quibus omnis ratiocinatio inædificetur. Necesse proinde est & facultatem circa bona aut mala justa aut injusta ratiocinandi, & notiones quasdam Scientiæ moralis genetrices, seu è natura ipsa humana erumpentes atq; proficiscentes, seu undecunq; delabentes omnibus hominibus esse communes. Quod totum sic deduci potest: Circa facultatem ratiocinandi, qui litem moveat, esse video neminem; nemo enim hominum est, aut extitit unquam, qui sive circa magna, sive parva non sua utatur ratione, sibiq; aliquid concludere persuadeat. Quin nemo est, qui non acutissimè & rectè ratiocinetur in iis rebus, cum quibus versatus est, id quod

bar-

(b) in Job. 25. Cap. 6.

barbararum Gentiũ exemplô conſtat. Poſtremò eſſe notiones quasdam primas & immutabiles, quæ ex hominis fine & convenientia cum natura rationali deducantur, ex quibus Dei Leges naturaliter percipiantur, id ex eo; *Quod tibi non vis alteri ne feceris*, patet perſpicuum. Ut verò multa paucis comprehendamus, atq; clariùs dicamus, quis cognoſcere nequit, qui Dei, ſui ipſius, aliorum hominum naturæ non ſit planè inſcius, oportere DEO eſſe amicum, à Quo, quidquid eſt, tum ſibi qui eſt, ac eſſe ſuî naturâ amat: tandem aliis, quibuscùm naturam habemus communem. Itaq; vel barbarus intelligat neceſſe eſt, ea eſſe efficienda omnia, quibûs hæc amicitia & confirmetur, & foveatur, & ea vitanda, quibûs poſſit extingui aut diſſipari.

CONSECTARIUM I.

Utens ſolo lumine naturali, Pyrrhoniſmum & Deiſmum vitare debet.

SIquidem homo (ut ſuperiùs deductum) labilis eſt, obnoxius eſt, nequaquam ejus intellectus perſpicax eſt; ut erroris noxã evitare poſſit, nec ita infinitè perfectus, ut ſibi ipſi ad Beatitudinem ſufficiat, nec omnipotens, ut queat, & quæ conſpicit aut deſiderat, omnia conſequi, & quæ veretur, omnia à ſe repellere.

Noſtra quidem, ſapientia humana, facile homini tribuit id, quod homo ſollicitè curando, laborem & curam adhibendo minùs èrrare valeat, quia tunc minùs miſer eſt, ſua deſideria, cupiditatesq; ad rei exigentiã

addu-

adducere, minùs anxiîs perturbationibûs impeditus, molestias, mala quoq; cuncta necessariò sustinenda fortiter ac patienter ferre potest, quum minùs ea cognoscit, minùs sentit, minùsq; apprehendit. Sed quàm vesanum est, atq; incredibile, quod humana notat sapientia! an homo minùs miser, minùs in vitia pronus, minùs erret? minùs cupiditatibûs agitetur? An homo soli rationi relictus, hæc omnia vitare queat? Errant certè & ipsi sapientes ùt suprà, errant pretiosa possidentes æraria, & forsitan à mundana sapientia minime sunt dicendi miseri? quia minùs agitantur cupiditatibùs (nisi sint avari) quia plurima habent, minùs sentiunt, quia vix quando dolore afficiuntur. Et sicut humana sapientia errat, ita ratio humana, à regulis naturæ deviare solita. Huic ergo rationi, si homo tribuat; ut ipsa expers revelationis omnia cognoscat, omnia officia Deo, hominibus debita ritè persolvat, certæ Deistarum errabundæ adhærebit opinioni, si omnem cognitionis usum ab intellectu separatum opinetur, omnemq; veritatis aditum intellectui præcludat, Pyrrhonicum sive Scepticorum commentum incurrit. Certum enim est, ut declaravimus haud posse intellectum, viam rectè beatè vivendi præcisa revelatione sternere, unde intellectui suis viribus relicto, officiorum Deo, hominibusq; debitorum sufficientem cognitionē non admittimus, illumq; semper errare, nunquam veritatis consequi apicem, mediô tutissimè ituri nullatenùs affirmamus.

CON-

CONSECTARIUM II.

DEistas hic vocamus eos, qui iniquè afferunt, humanas res à DEO nunquam curari, (a) alii immortalitatẽ animæ negant, alii Supremum DEO in creaturas Dominium temerè adimunt actibus humanis bonitatẽ & malitiam subtrahunt, Leges Divinas admittere nolunt, pœnas inferni dari non admittunt, Religionẽ evertunt, fingunt se esse Religionis Christianæ externè, at internè procul ab ea distant, improbis moribus cohabitantes cæteros inficiunt, hominem ratione præditum belluis comparant. Hæc & plurima aures piorum offendentia, comminiscunt contra quos sit.

CONSECTARIUM III.

Mundus & quæcunq; sunt in eo etiamsi minuta Divinæ Providentiæ subjiciuntur.

SI permulta DEI attributa percipere possumus; maximè quòd sit Misericors, quòd sit Providus. O quot mortalium! ex inopibus opulenti, ex vilibus honorifici facti non alio fonte; nisi DEI Providentiâ. Hanc in volatilia Cæli, bestias terrræ quis non videt! hic potiùs vel se nec cum Pyrrhonicis vivere sciat, vel nec hominum gremio adscribatur. Unde prudentissimè Nemesius inquit: „ Res singulas regi Providentiâ magno „argumento est, quòd naturaliter Ejus notitia homi„nibus sit inita. Nam necessitate aliqua compulsi sta„tim ad Numen Divinum & preces confugimus velut „natura nos sine doctrina ad DEI opem perducente.„

(a) Fortunatus à Brixia Disp de Deo Provid. Concurrent. & Prædeterm.

„non autem ſine doctore nos natura ad id duceret, quòd
„eadem natura non fert ut fiat. Nam in repentinis per-
„turbationibus & timoribus ſine electione neq; deliberatè
„& tanquam aliquid conſideramus, DEI Nomen invoca-
„mus. Quidquid autem naturaliter quamq; rem inſequa-
„tur in eo tanta vis eſt ad demonſtrandum, ut contradici
„nihil poſſit. (b) Ipſi quoq; hac in re exhibent te-
„ſtimonium Stoici dicentes? Quid potuerunt de affectu
„ac diligentia Dei rectiùs religioſiùsq; ſentire, quòd
„ùt DEUM gubernatori ſimilem eſſe dicerent, hoc
„utiq; intelligentes: quòd ſicut navigans gubernator
„nunquam manum ſuam à gubernaculo, ſic nunquam
„penitùs curam ſuam DEUS tollit à mundo, at ſicut
„ille & auras captans & ſaxa vitans, & aſtra ſuſpiciens,
„totus ſit ſimul tam corporis quàm artis officio operi ſuo
„deditus, ita ſcilicet DEUM noſtrum ab univerſitate
„omnium rerum nec munus dignatiſſimæ viſionis aver-
„tere, nec regimen Providentiæ ſuæ tollere, nec indul-
„gentiam benigniſſimæ pietatis auferre. Atq; meritò
Salvianus noſtris favet intentis = Cum ergo omnes
„etiam Religionis expertes veluti quadam neceſſitate
„compulſi, & ſentiri omnia à DEO, & moveri & regi
„dixerint, quomodò nunc eum incurioſum, quidam
„(Deiſtas intelligit) ac negligentem putant? qui & ſen-
„tiat omnia per ſubtilitatem, & moveat per fortitudi-
„nem, & regat per poteſtatem, & cuſtodiat per beni-
„gnitatem. Dixi, quid de Majeſtate ac moderamine
„Summi DEI, Principes & Philoſophiæ, & Eloquentiæ
„judicârint, ideo autem nobiliſſimos utriusq; excellen-
„tiſſimæ artis Magiſtros protuli, quò faciliùs vel omnes
alios

(b) Lib. de nat. hom. Cap. 44.

„alios idem sensisse, vel certè sine authoritate aliqua dissẽ-
„sisse monstrarem. (a) Ad extremum Cicero = Habet
„hoc à principio persuasum Civibus Dominos esse omniũ
„rerum ac moderatores Deos, eaq; quæ geruntur, eo-
„rum geri vi, ditione, ac numine eosdemq; optimè de
„genere hominum mereri, & qualis quisq; sit quid agat,
„quid in se admittat, qua mente, qua pietate colat Re-
„ligiones, intueri piorumq; & impiorum haberi rationẽ,
„his enim rebûs imbutæ mentes haud sane abhorrebunt
„ab utili & à vera sententia. (b)

CONSECTARIUM IV.

Immortalitatem animæ ut Legi naturæ consentaneam contra prædictos Deistas demonstramus.

QUòd animæ immortalitas sit Legi naturæ consentanea ex se manifestum est. Hac etenim sublata, & justi æqui honestiq; amantes privarentur præmiò, & impii pro suis criminibus hac in vita non puniti, æternâ quoq; pœnâ carerent. At hæc nonne sunt contra Legem naturalem, quæ meritis præmium, sceleribus vindictam tribui mandat. O nefandum systema! menti nobilissimam adimere qualitatem, ipsamq; cum aliis temere comparare animantibus. Dicite ò impii! nonne virtus plena laborum & meritorum, solatium immortalitate reperit? Quivis anfractus minimè exasperant, dum spe immortalitatis nutriuntur. Nonne proclivior homo ad virtutem, ad Leges quascunq; manu tenendas, quò certior est immortalitatis animæ. Et ideo nobis hanc infallibilem veritatem, vel ipse Philosophorum antiquissi-

(a) Lib. 1. de Guber. Dei. Tom. 8. Bibl. part. (b) Lib. 2. de Legib. Cap. 7.

mus Socrates sua confirmávit morte, de quo Cicero ,,
,,Cùm penè manu jam mortiferum teneret poculum, lo-
,,cutus ita est, ut non ad mortem trudi, verùm in Cæ-
,,lum videretur ascendere. Ita enim censebat, itaq;
,,disseruit: duas esse vias, duplicesq; cursus animarum
,,è corpore excedentium. Nam qui se humanîs vitiîs
,,contaminavissent & se totos libidinibus dedissent qui-
,,bus cæcati domesticis vitiis atq; flagitiis se inquina-
,,vissent vel de Rep: violanda fraudes inexplicabiles con-
,,cepissent, iis devium quoddã interesse seclusum à con-
,,cilio Deorum; qui autem se integros castosq; serva-
,,vissent, quibusq; fuisset minima cum corporibus
,,contagio, seseq; ab his semper sevocâssent. essendiq;
,,in corporibus humanis vitam imitati Deorum, his
,,ad illos à quibus essent profecti reditum facilem pa-
,,tere. (c) Ea propter ipse semper immortalitatem
,,animæ tuebatur, ùt de se dicit: Credo Deos immor-
,,tales, sparsisse animos in corpora humana, ut essent,
,,qui terras tuerentur, quiq; Cælestium ordinem con-
,,templantes imitarentur, cum vitæ modo atq; instan-
,,tia. Nec me solum ratio ac dispensatio impulit, ut ita
,,crederem, sed nobilitas etiam Supremorum Philoso-
,,phorum & auctoritas, audiebam Pythagoram, Pytha-
,,goricosq; incolas penè nostros, qui essent Italici
,,Philosophi, quondam nominati, nunquam dubitâsse,
,,ex universa mente Divina delibatos animos haberemus.
,,Demonstrabantur mihi præterea, quæ Socrates su-
,,premo vitæ die de immortalitate animarũ disseruisset,
,,is qui esset sapientissimus oraculô Apollinis judicatus.
,,Quid multa? sic mihi persuasi, sic sentio (d) etsi in
,,hoc erro, nec mihi hunc errorem, quô delector, dum
vivo

(c) Cic. Lib. 1. qq. Tuscul. Cap. 1. (d) Lib. de Sent. Cap. 21.

„vivo, extorqueri volo: ſin mortuus, ût quidam mi-„nuti Philoſophi cenſent, nil ſentiam, non vereor ne „hunc errorem meum mortui Philoſophi deriderent. (a) Sed neq; hac in re neceſſaria ſunt Philoſophorum teſtimonia, dum ipſe Chriſtus ait: *Nolite timere eos, qui occidu t corpus, animam autem occidere non poſſunt: ſed timete eum, qui poſtquam occiderit corpus, poteſtatem habet mittendi animam in gehennam ignis.* (b) *Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.* (c)

CONSECTARIUM V.

Admiſsâ Providentiâ Divinâ, atq; immortalitate animæ, Deiſtarum fundamenta evertuntur, ac ruunt.

JAm intellectus ſe ſolo Officia Dei, hominumve præſtare nequit, jam Leges Divinæ, quas admittere nolunt, populo inſtillantur. DEUS enim per ſui Providentiam, ne homo præſertim rectæ conſcientiæ occaſionem malorum incurrat, cuſtodit ac defendit. Jam pœnæ æternæ cruciatui æterno in inferno deſtinatæ reviviſcunt & verendum? verendum inquam, ne illi in vitia diſſoluti homines, ne illi, qui non dari pœnas æternas ſomniant, ante tempus experiantur, ante tempus ſtygiis navigent in undis, æternùm tormenta paſſuri. Sed actionibus bonitas & malitia redit, quas in actibus humanis dari ſummopere opportunum, infrà declarabitur. Cætera, quæ impii illi homines excogitant, per hæc eô ipsô tolluntur, & annihilari debent.

CON-

(a) Lib. de Sent. Cap. 23 (b) Matt. 10. Cap. ℣. 28. (c) Joan. 12. Cap ℣. 25.

CONCLUSIO IV.

Naturæ humanæ inclinationes, quibûs naturaliter nobis ad objecta consentanea ferimur, habent rationem principiorum Legis naturæ cognoscitivorum.

Ex perceptionibus boni vel mali, naturalia in homine desideria, sive inclinationes nasci, instar axiomatis habemus. Et quoniam hæc fiunt motiva determinantia hominem, alia ratione hoc amplecti, quod quomodocunq; sive sub specie boni, bonum esse judicat, & hoc fugere, quod ipsi malum videtur, sequitur eadē habere rationem principiorū Legis naturæ cognoscitivorum, nam licet homo hîs motivîs determinantibûs se ad amplectendum vel fugiendum quidpiam, operans, non videatur procertò ipsam Legem exactè in omnibus observare, nihilominùs ejus cognitionem habere ostenditur, quia hoc ipsum (ut infrà) præcipit. Fatemur facilè per has inclinationes errare posse, per hoc tamen cognitionem quamcunq; Legum naturalium ab iis minimè excludimus. Fatemur eas esse non tantùm bonas, sed etiam malas, cùm hæ vel irreflexè seu indeliberatè, vel si deliberatè, malitiosè & per contemptum excitentur. Hæ enim considerantur in homine tanquam commotiones animi, à sanguinis aut spirituum agitatione excitatæ, vel ùt aliis placet, tanquam motus appetitûs ex affectione seu impressione sensibili orti, ab aliis dicuntur passiones, quas etiam Cartesius motus appellat animæ, qui ad ipsam refe-

feruntur, quiq; à ſpirituum commotione procreantur, foventur & roborantur. Unde non abs re doctiſſimus Dahumel paſſiones cum inclinationibus conjungere videtur, inquiens : „ Ea quippe eſt Lex ab Authore naturæ tum „ſancita, cùm animum unà cum corpore conjunxit, ùt „animi motus, etiam qui ad corpus non referuntur, quæ- „dam ſpirituum commotio comitetur, adeo ; ut nulla ſit „inclinatio pura voluntatis, quæ alicui paſſioni non ſit „admiſta. Sic amorem juſtitiæ aut virtutis certa com- „inctio ſpirituum ſenſibilem efficit, ut rerum intelle- „ctualium perceptionem impreſſa cerebro veſtigia comi- „tentur & roborent. Sed illa ùt dictum eſt ſpirituum „agitatio, quæ actiones voluntatis ſequitur placida, „eſt tranquilla ; verùm ubi appetitus ſentiens vehe- „mentiùs concutitur, ſtatim & ſanguinis æſtus oritur, „& ſpiritus adeo tumultuantur, ut vix animus poſſit eos „componere. Nam agitati ſpiritus non ſtatim ſubſi- „dunt. Proinde Auguſt: „ Quidquid te delectat in „corpore & per corporeos illicit ſenſus, videas eſſe „numeroſum, & quæras unde ſit, & in te ipſum redeas, „atq; intelligas te id, quod attingis, ſenſibûs cor- „poris probare aut improbare non poſſe, niſi in te ha- „béas quaſdam pulchritudines Legis, ad quas referas, „quæ ſentis interiùs. (a) Idem alibi; „ In diſciplina „noſtra non tam quæritur utrum pius animus iraſcatur, „ſed quare iraſcatur ? nec utrum ſit triſtis, ſed unde „ſit triſtis ? nec utrum timeat, ſed quid timeat ? iraſci „enim peccanti ut corrigatur, contriſtari pro afflicto ut „liberetur, timere periclitanti ne pereat, neſcio utrum „quiſquam ſana conſideratione reprehendat. (b) Huic

loco

(a) Lib. 2. de Libero Arbitr. (b) Lib. 9. de Civit. Dei.

„loco accommodo à S. August: Cicero „ Hominem dicit
„ non ut à matre sed ut à noverca natura editũ in vitam,
„corpore & nudo, & fragili & infirmo: animo admodũ
„anxio ad molestias, humili ad timores, prono ad libi-
„dines, in quo tamen inesset tanquam obrutus quidam
„Divinus ignis ingenii & mentis. Pulchrè describit id
„ipsum S. Thomas „ Secundùm ordinem inclinationum
„naturalium est ordo Præceptorum Legis naturæ. Inest
„enim primò inclinatio homini ad bonum secundùm na-
„turam, in qua communicat cum omnibus substantiis,
„prout scilicet quælibet substantia appetit conservatio-
„nem sui esse secundùm naturam, & secundùm hanc in-
„clinationem pertinent ad Legem naturalẽ ea, per quæ
„vita hominis conservatur, & contrarium impeditur.
„Secundò inest homini inclinatio ad aliqua specialia ma-
„gìs secundùm naturam, in qua communicat cum cæ-
„teris animalibus, & secundùm hoc dicuntur ea esse de
„Lege naturali, quæ natura omnia animalia docuit, ut est
„educatio liberorum & similia. Tertiô modô inest ho-
„mini inclinatio ad bonum secundùm naturam rationis,
„quæ est sibi propria, sicut homo habet naturalem in-
„clinationem ad hoc, quód veritatem cognoscat de Deo,
„& ad hoc, quòd in societate vivat, & secundùm hoc
„ad Legem naturalem pertinent ea, quæ ad hujusmodi
„inclinationem spectant, utpotè, quòd homo ignorantiã
„ vitet, quòd alios non offendat, cum quibus debet con-
„versari, & cætera hujusmodi quæ ad hoc spectant. (c)
Jam ergo hinc naturæ humanæ inclinationes nonne statu-
endæ sunt pro ratione principiorũ Legis naturæ cogno-
scitivorum, cùm per has nobis innotescit, & cognitio
Existentiæ Dei, & cognitio officiorum, tum erga Deum,
tum erga nos ipsos, tum eos, quibuscum conversamur.

(c) 1. 2. Q. 94. a. 2.

C

CONSECTARIUM I.

Actus humanos ex ipſa ratione Legis naturæ eſſe aut bonos, aut malos, concludimus contra Deiſtas.

NOn diffitemur eſſe plures, qui pene actibus humanis & bonitatem & malitiam adimere conantur, quod tamen nulla ratione evincere poſſunt, cùm ut actus humani ſint boni, aut mali, ipſe naturalis ordo expoſcit. Non hac autem de cauſa dicimus eſſe bonos & malos, quia ſunt prohibiti (ut opinantur nonnulli) ſed quia de natura ſua ſunt tales. Quilibet enim homo ex ſingulari immenſa Bonitate Dei, habet hunc ſibi à natura inditum intellectum, qui naturale actuum illius eſſet principium, quiq; actus ejus dirigeret & judicaret eſſe bonos aut malos. Libeat nobis audire D. Thomam : „ „Sunt aliquæ operationes naturaliter homini convenientes, quæ ſunt ſecundùm ſe rectæ, & non ſolùm „ quaſi Lege poſitæ. (d) = Patet quòd bonum & malum in humanis actibus, non ſolùm ſunt ſecundùm „Legis poſitionem, ſed etiam ſecundùm naturalem ordinem. (e) Libeat & Ciceronem. Si homines ab „injuria pœna non natura arcere deberet, quæ nam „ſolicitudo vexaret impios, ſublato ſuppliciorum metu, „quorum tamen nemo tam audax unquam fuit, quin aut „abnueret à ſe commiſſum eſſe facinus, aut juſti ſui „doloris cauſam ſibi aliquam fingeret, defenſionemq; „facinoris à natura jure aliquo quæreret. - - - Quod ſi „pœna, ſi metus ſupplicii, non ipſa turpitudo deterreret ab injurioſa facinoroſaq; vita, nemo eſt injuſtus,

E aut

(d) Lib. 3. contra Gent. Cap. 1?9. (e) Ibidem.

„aut incauti potiùs habendi sunt improbi.! Tum autem „qui non ipsô honestô movemur, ut boni viri simus, „sed utilitate aliqua atq; fructu, callidi sumus non boni. „Nam quid faciet is homo in tenebris, qui nihil timet „nisi testem & Judicem? quid in deserto loco nactus, „quem multô aurô spoliare possit imbecillem atq; solum? „Noster quidem hic naturâ justus vir ac bonus, etiam „colloqueretur, juvabit, in viam deducet. Is verò, qui „nihil alterius causâ fuit, & metitur suis commodis „omnia, videtis credo, quid sit acturus. Quod si ne- „gabit se illi vitam erepturum, & aurum ablaturum, „nunquam ob eam causam negabit, quod id naturâ turpe „judicet, sed quòd metuat, ne emanet, id est, ne ma- „lum habeant. O rem dignam! in qua non modò docti, „verùm etiam aggrestes erubescant. - - - - Si ùt iidem „dicunt, utilitate omnia metienda sunt; negliget Le- „ges, easq; perrumpet, si poterit, is, qui sibi eam „rem fructuosam putabit fore. Ita fit, ut nulla sit „omninò justitia, si neq; natura est, & ea quæ propter „utilitatem constituitur, utilitate alia convellitur: atq; „si natura jus confirmatura non erit, virtutes omnes „tollantur. Ubi enim liberalitas? ubi Patriæ caritas? „ubi pietas? ubi aut bene merendi de altero, aut refe- „rendæ gratiæ voluntas poterit existere? - - - - Neq; „solùm in homines obsequia, sed etiam in Deos cere- „moniæ Religionesq; tolluntur. - - - - Quodsi populo- „rum jussis, si Principum Decretis, si sententiis Ju- „dicum jura constituerentur, jus esset latrocinari, jus „testamenta falsa supponere, si hæc suffragiîs, aut „scitis multitudinis probarentur. Quæ si tanta potestas

est

„est stultorum sententiis atq; jussis, ut eorum suffragiis „rerum natura vertatur; cur non sanciunt, ut quæ „mala perniciosaq; sunt, habeantur pro bonis ac salu-„taribus? aut cùm jus ex injuria Lex facere possit, „bonum eadem facere non possit ex malo? Atqui „nos Legem bonam à mala, nullâ aliâ viâ, nisi naturæ „normâ dividere possumus, nec solùm jus & injuria „dijudicatur, sed omninò omnia honesta ac turpia: „nam & communis intelligentia nobis notas res effi-„cit, eaq; in animis nostris inchoavit, ut honesta in „virtute ponantur, in vitiis turpia. Hæc autem in „opinione existimare, non in natura posita, verè de-„mentis est, - - - Ipsum bonum non est opinionibus, „sed natura; nam ni ita esset, beati quoq; opinione „essent: quô quid potest dici stultius? (a) Actus itaq; bonos vel malos ex ratione Legis nequaquam dari, impium esse, atq; profanum dicimus.

CONSECTARIUM II.

Principium Legis naturæ est: *declina à malo & fac bonum.*

Hæc est tota dictorum nostrorum summa, quibûs partim ad refellendas adversariorum opiniones, partim ad stabiliendum certum & infallibile Legis naturæ principium usi sumus. Quæcunq; enim hac in Dissertatione tractavimus, omnia hucusq; collimabant, ipsas actiones dari bonas vel malas persuasimus, has ab hac Lege oriri quis non videt? Si enim facimus bo-

(a) Cic. Lib. de Legib. 1. Cap. 14. 15. 16. 17.

bonum, bona est, atq; laudabilis actio, si declinamus à malo, honestum vitæ præferimus statum, en actiones bonæ, quod si è converso nobis contigerit facere malum, & declinare à bono, en actiones malæ. Lex hæc certè communis est, ut quæcunq; statuantur aliæ, tanquam ad fontem revertantur necesse. Revolvat cui placet integra Legum volumina, ventilet Veteris & Novi Testamenti Libros. Adextremum ipsa Rerumpublicarum, Civitatum, Communitatum percurrat Statuta, si ea omnia? si unum quodq; illud intimum sibi non habeat, illud imbibitum, non teneat, illud demùm naturæ quodam intuitu introductum non loquatur: *Declina a malo & fac bonum.* Hæc est cordi uniuscujusq; impressa Regula, hic menti nostræ à natura intimatus

FINIS.

Permissu

Magnifici Domini & Amplissimi RECTORIS.